

vel minus tempus coexistat; — addunt proinde durationem rei permanentis non realiter distingui ab ipsa re durante.

Prob. 1° Duratio rei permanentis potest esse brevior vel longior; *a.* neque extrinsece solum est brevior vel longior, neque intrinsece vi essentiae rei permanentis; *e.* vi alicujus modi intrinseci sed distincti et successivi, cujus essentia sit sic et non aliter quandocare.

Ad maj. Post primum instans suae creationis potest res permanens alio vel alio instanti destrui; *a.* post plura instantia longiorem durationem habuit quam post pauciora; *e.*

Ad min. Postquam certae temporis parti coexistit, ratio quaeritur cur non alii, majori vel minori; *a.* haec ratio 1) non est a parte temporis (nam hoc est indifferens ad coexistendum hanc vel illa sui parte); 2) neque est a parte essentiae rei (nam haec est tota simul et indifferens ad coexistendum huic vel illi temporis parti); *e.*

Prob. 2° Si res permanens *A* creatur, dein destruitur, et postea res *B* creatur, erit 1) relatio realis mutua inter eas prioritatis et posterioritatis; 2) sive immediatae consecutionis, sive cum interposita distantia durativa; — *a.* hujus relationis realis mutuae fundamentum non est aliquid utrique vel alterutri extrinsecum, neque ipsa substantia utriusque; *e.* aliquis modus intrinsecus sed distinctus.

Ad min. 1) Aliquid extrinsecum fundaret relationes rationis, non relationem realem mutuam.

2) Ipsa substantia est de se indifferens ut sit *A* ante vel post *B*, immediata consecutione vel interposita distantia durativa.

Prob. 3° Si rei permanentis duratio esset tota simul, esset instans indivisibile, comprehendens et praeteritum et futurum; — *a.* si tale esset instans: 1) talis res crearetur et destrueretur stricte simul, seu incipere et desinere esset idem, — 2) nunquam haberetur potentia ad non existendum momento sequenti, essetque res non contingens sed necessaria, — 3) hodie et cras non differrent, ideoque non posset eadem res habere hodie et cras affectiones oppositas, — 4) non posset mensurari aliquo tempore successivo coexistente; — quae omnia sunt absurda; *e.*

Objic. 1° Per id res formaliter permanet in essendo (durat), per quod formaliter excludit cessationem essendi; *a.* per suum esse res formaliter excludit cessationem essendi; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* per suum esse simpliciter, *n;* per suum esse ut permanens, *c.* (sed hoc quaeritur unde sit).

Objic. 2° Existentia et duratio sunt inseparabiles, et simul aequaliterque vel variables vel invariables; *e.* — *R. c. ant. 1 part.* — *n. 2 part.*

Objic. 3° Initium, continuatio, et finis existentiae, sunt initium, continuatio, et finis durationis; *e.* a principio usque ad finem existentia est idem ac duratio. — *R. c. ant.* — *n. supp.* (initium, continuatio, finis dantur existentiae vi durationis supperadditae).

Objic. 4° Duratio realiter distincta esset accidens substantiae; *a.* repugnat

substantiam durare per aliquod suum accidens; *e.* — *ad min.* Substantia, ut subjectum accidentium, est pro quovis instanti prius natura quam quodvis accidens; *e.* perseverat in esse independenter a suo accidente. — *R. c. maj.* — *n. min.* — *ad rat. add. : c. ant.* — *n. cons.* (substantia et terminus primarius actionis producentis vel conservantis, sed simul ejusdem actionis terminus secundarius est quandocatio alia et alia) (Cfr. *Arriaga. phil. disp. 15. sect. 1. subsect. 3*).

Objic. 5° Ipsa duratio superaddita vel durat per seipsam, vel per aliam supperadditam; *a.* si prius, jam non repugnat aliquid per seipsum durare, nec requiritur duratio superaddita, — si posterius, redit quaestio in infinitum; *e.* — *R. 1) ad maj.* per seipsam. — *ad min. 1^m part. : n. par.* (alia sunt indifferentia de se ad varias quandocationes, duratio non, sed ejus partes, quandocationes variae, sunt essentialiter nunc et tunc; imo potius non ipsae sunt nunc et tunc, sed ipsae sunt id quo res est nunc et tunc). — *R. 2) n. supp. maj.* (duratio non est aliquid quod durat, sed est id quo res durat).

Objic. 6° Absurdum est dicere Deum jam hodie non posse id facere quod heri poterat; *a.* si duratio est successiva Deus non potest hodie quandocationem hesternam facere; *e.* — *R. 1) d. maj.* non posse subjective, i. e. propter suam impotentiam, *c;* non posse terminative, i. e. propter absurditatem intrinsecam termini, *n.* — *c. d. min.*

ARTICULUS 2.

De modo durandi.

Propositio 73.

Tempus essentialiter differt tum ab aevo, tum ab aeternitate.

Notiones. 1) Durationes temporalem, aeviternam et aeternam comparamus ubicationibus circumscriptivae seu in spatio, definitivae seu extra genus spatii, et repletivae seu divinae.

2) Duratio *temporalis* est rei mutabilis, i. e. rei quae sive essentia sua motus est, sive in essentia sua vel in operatione sua motum subire potest.

3) Duratio *aeviterna* est rei in essentia sua physica immutabilis, in affectionibus suis mutabilis, i. e. substantiae creatae simplicis, seu spiritus.

4) Duratio *aeterna* est solius Dei, qui nec in substantia neque ullo modo mutabilis est.

Stat. quaest. 1) De aeterna duratione minor est difficultas; sed de aeviterna et temporali post praecedentem propositionem manebit dubium: quum enim utraque successiva sit et finita, quomodo jam differunt?

2) Alii quidem dicunt aevum esse durationem totam simul, sed contra illos erat propositio praecedens; alii dicunt durationem temporalem esse successivam continuam, divisibilem in infinitum, aeviternam vero esse compositam

ex instantibus indivisibilibus intrinsece, quae extrinsece aequivaleant et coexistere possint certis temporalis durationis partibus continuis.

3) Nos dicimus temporalem durationem esse successivam continuam, aeviternam item esse successivam continuam, differre tamen essentialiter, specificè, a temporali.

Prob. Totuplex est diversa perseverantia in existentia, quotuplex diversus modus quo aliquid potest habere immobilitatem in existentia; *a.* hic modus est essentialiter diversus in temporalibus, aeviternis et aeterno; *e.*

Ad min. *Temporale* est quod ita durat ut nullo momento exigat ab intrinseco ulterius durare, neque exigat immutatum in sua essentia durare, sed tantum de facto durat quantum a sua causa de facto conservatur; — *aeviternum* illud est quod ita durat ut singulis momentis ab intrinseco vi suae essentiae exigat ulterius durare, et quidem in essentia sua mutari nequeat, sed solum per miraculum contra suam tendentiam naturalem annihilari posset, estque naturaliter immortale; — *aeternum* est quod ex intrinseca sua essentia repugnat omni mutationi, etiam accidentali, omni successioni, initio, fini; scilicet solus Deus; — *a.* durationes quae essentialiter proportionantur talibus essentialium differentiis, essentialiter differunt inter se; *e.*

N. B. Fusiores explicationes non sunt hujus loci; de temporalium conservatione cfr. in theologia naturali, ubi de divina operatione, et de mundi creatione ac conservatione; — de aeternitate ibidem; — de aeviternorum immortalitate, simplicitate, cfr. in psychologia, ubi de anima humana.

Coroll. 1^m Ergo aeternitas est duratio tota simul, quae nec habet in se prius et posterius, nec ea compatitur secum; competitque soli Deo; — aevum dicit durationem successivam, non quidem vi essentiae durantis simplicis, sed vi adjunctorum, compossibilem; competitque angelis et animae separatae.

Coroll. 2^m Aeternitas insuper differt ab aliis, eo quod nullum initium, nec finem habere potest; cetera habent vel saltem habere possunt.

Objic. 1^o Impossibile est duas mensuras durationis esse simul nisi una sit pars alterius, v. c. non duae dies simul, sed hora et dies simul esse possunt; *a.* tempus et aeternitas sunt simul; *e.* — *R. d. maj.* duas mensuras intrinsecas unius durationis, *c;* diversarum, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2^o Nunc temporis manet idem toto tempore; *a.* ita habetur idem indivisibiliter se habens in toto tempore; *e.* habetur aeternitas; *e.* — *R. d. maj.* idem ratione, seu in abstracto, *c;* re, seu concrete, *n;* — *d. min. par.* — *n. conseq.*

Objic. 3^o Sicut mensura primi motus, i. e. motus talis a quo ceteri omnes motus dependerent, recte acciperetur ut mensura omnium motuum (si quis talis motus esset); ita mensura primi entis a quo pendet omne ens, est mensura omnis entis; *a.* esse rerum corruptibilium mensuratur tempore; *e.* — *R. n. maj.* quia *n. par.* (motus cum motu, ut sic, foret univocus, ens cum ente est analogum).

QUAESTIO 2.

De tempore.

Propositio 74.

Tempus proxima et immediata ratione ad durationem motus refertur.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quid communi loquendi concipiendique usu tempus esse intelligatur. — Respondemus conceptum temporis esse cum conceptu durationis successivae motus intime connexum; et generatim quae de tempore dicuntur comparanda sunt cum iis quae de spatio.

Notiones. 1) In rerum ordine concipi possunt:

- a) motus continuus, et duratio per quam fit motus;
- b) duratio abstracta, i. e. *tempus purum*;
- c) haec eadem duratio, sed considerata ut possibilitas quandocandi successiones et motus, i. e. *tempus formale, naturale, seu physicum*;
- d) haec eadem possibilitas, addendo negationem omnis durationis successivae in ea quandocatae, i. e. *tempus imaginarium*.

2) Tempus sive purum, sive naturale, sive imaginarium potest esse:

illimitatum seu *absolutum*.

limitatum i. e. *respectivum*.

{ indeterminatum = non designatis certis terminantibus instantibus.

{ determinatum = certis designatis terminis = *actuum*.

{ in actu primo = non impletum.

{ in actu secundo = impletum aliquo durante = *reale*.

3) Hae notiones nunc non dantur tanquam in sequentibus praesupponendae, sed potius ordine suo explicandae, nunc uno conspectu ob oculos ponuntur.

Prob. Ex vulgari communi sermone et notione, conceptus temporis apparet intimo et essentiali vinculo cum conceptu durationis motus connexus; *e.*

Ad ant. 1) *Vulgari sermone* dicimus: a) tempus esse receptaculum intra quod omnes motus et durationes durent;

b) habere partes post partes, sive continuas, sive dissitas;

c) occupari mutationum durationibus ita, ut durationum partibus singulis correspondeant temporis partes singulae;

d) eadem attributa habere et proprietates, atque habet duratio et motus (scilicet extensionem successivam continuam).

2) *Vulgari conceptu* tempus concipimus: a) indeterminate et abstracte, de quacumque duratione, — b) vel ut ingentem fluxum quandocationum continuum sine fine durantem.

Propositio 75.

Tempus non consistit in ordine et relationibus successivorum sive existentium sive possibilium, neque in affectione quam res successivae praetereuntes faciunt in animo.

Stat. quaest. 1) Leibnitz tempus definit: ordinem seu relationem successivorum sive existentium, sive possibilium. — Nos concedimus relationes durativas ex tempore oriri, et tempus ipsum nobis eis innotescere; sed negamus tempus ipsis relationibus successione constitui.

2) S. Augustinus (confess. XI. 14) videtur tempus definire: aliquam distensionem animi cogitantis et retinentis ex rerum successione affectionem quamdam.

Prob. 1^a pars (non relationibus). 1^o Si tempus formaliter consisteret in relationibus successivorum, ea quae tempori tribuuntur, tribui etiam his relationibus possent; *a.* ita non est; *e.*

Prob. min. Tempus est praevia conditio successioneum quandocandarum; est imaginarium vel reale; est tantum quantae successiones quandocandae; *a.* haec omnia de relationibus illis dici nequeunt; *e.*

Prob. 2^o Si illae relationes essent ipsum tempus, mutatis relationibus mutatum esset tempus; *a.* ita non est; *e.*

Ad min. Si accelerantur, retardantur, adduntur vel tolluntur variae successiones, etiam mutantur relationes, non tamen tempus; *e.*

Prob. 3^o Si supponatur unicum successivum, nullus esset ordo et relationes successivorum; *a.* non tamen nullum esset tempus; *e.*

Prob. 2^a pars (non affectio animi). 1^o Tempus formaliter concipitur ut id in quo quandocantur objective res durantes; *a.* res objective durant non in mente nostra, sed in ordine reali extra nos; *e.*

Prob. 2^o Etiam si nullus animus esset in quem res praetereuntes facerent impressam affectionem, tamen res permanerent in existendo, suam haberent durationem, essentque in tempore; *e.*

Propositio 76.

Tempus purum est ipsa duratio abstracta; tempus physicum est capacitas successioneum aequaliter fluens; — tempus reale est eadem capacitas connotando praesentiam in ea durantis motus, seu est numerus et mensura motus secundum prius et posterius, seu est fluxus quandocationum continuus; — tempus imaginarium est eadem capacitas, addendo negationem durationis successivae in ea quandocatae.

Stat. quaest. Variae sententiae de natura temporis, quarum quaelibet aliquid veri habet, inter se conciliantur, ostendendo aliquam distinctionem sub qua variae definitiones admittendae sint.

Prob. 1^a pars (purum). Concepta duratione abstracta, eo ipso concipitur tempus illud quod est fundamentum omnium relationum successivarum mathematicae computabilium; *e.*

Prob. 2^a pars (physicum). Tempus physicum seu formaliter sumptum, ex conceptu communi hominum, est id quod de se quidem est vacuum seu imaginarium, quod potest successione impleri, quod impletum est rebus durantibus successive; *a.* tale nec est duratio abstracta, nec est numerus motus, vel fluxus quandocationum, nec tempus imaginarium ut sic, sed est capacitas successioneum aequaliter fluens; *e.*

Ad min. 1 part. (non duratio ut sic). Haec non est *id quod* impletur successive, vel impleri potest, sed est *id quo* tempus impletur!

Ad min. 2 part. (non numerus motus). Sensu obvio supponit motum realem, cujus concipiatur existentia successiva ut mensuranda per prius et posterius; *a.* sic habetur conceptus durationis realis, potius quam temporis formaliter; *e.*

Ad min. 3 part. (non fluxus quandocationum). Sensu obvio supponit rem quandocatae successive, sive sit motus, sive sit res permanens; cujus concipiatur existentia ut continuo transiens ab una in aliam quandocationem; *a.* sic concipitur potius duratio realis, quam tempus formaliter sumptum; *e.*

Ad min. 4 part. (non tempus imaginarium ut sic). Hoc occupari potest, sed per occupationem tollitur; *a.* tempus et occupari potest, et occupatum manet; *e.*

Ad min. 5 part. (sed capacitas...). Tempus communi usu concipitur formaliter ut aliquid de se abstractum et vacuum, quod durationibus variis successive occupatur, easque contineat, quod in partes successivas dividi possit, quod duratione intrinsece, motu extrinsece mensuretur, quod sine fine continuo aequaliter fluat, nunquam permaneat; *a.* haec omnia essentialiter conveniunt huic capacitati; *e.*

Prob. 3^a pars (reale). 1^o Tempus reale non jam solum tempus dicitur quatenus formaliter concipitur ut capacitas sine fine fluens, sed addit notionem occupatae hujus capacitatis aliquo concreto in ea durante finito; *a.* sic connotatur praesentia alicujus in ea durantis; *e.*

2^o Tempus reale concipitur ut occupatum aliquo durante in quo sit prius et posterius; quod a parte rei sit mensura et ratio hujus durationis, a parte nostrae cognitionis sit mensuratum per hujus durationis partes numerandas; *a.* haec aptissime exprimuntur per definitionem Aristotelis: «*numerus et mensura motus secundum prius et posterius*»; *e.*

3^o Tempus reale concipitur ut occupatum aliqua re durante successive, quae etiam si nulli subiaceat motui praeterquam solarum quandocationum successioni, neque ab ullo intellectu secundum motum saltem possibilem mensuretur, tamen a parte rei verum esset tempus reale; *a.* haec aptissime exprimuntur per definitionem: *fluxus continuus quandocationum*; *e.*

Prob. 4^a pars (imaginarium). Concipiendo negationem omnis rei successive durantis, concipitur tempus non formaliter ut sic, sed tempus imaginarium seu vacuum ut sic; et e converso concipiendo tempus ut vacuum, concipitur formaliter haec negatio; *e.*

Ad antec. Tempus ut sic manet, etiam si occupetur aliqua duratione rei.

Propositio 77.

Tempus non est ens absolutum a parte rei actuale, sive ens sui generis dicatur, sive divina aeternitas.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quid sit a parte rei capacitas illa successio- num; varie varii respondent:

2) Alii dicunt tempus esse aliquid reale existens; — quod explicat Gassendi esse aliquid ens sui generis ad durationem successivam necessarium, in quo res durent.

3) Eandem responsionem explicat Clarke, esse entitatem aliquam aeter- nam, i. e. ipsam Dei aeternitatem.

Prob. 1^a pars (*non ens sui generis*). 1° Haec ipsa res deberet in alia recipi, quae iterum in tertia, et sic in infinitum; *a.* hoc est absurdum; *e.*

Ad maj. Haec ipsa res esset successive durans; *e.* ob easdem rationes ac ceterae res successive durantes, possibilis non esset nisi in aliquo recepta- culo durationis; *e.*

Prob. 2° Haec res nec substantia nec accidens esset; *a.* hoc est absur- dum; *e.*

Prob. 3° Haec res increata, ab aeterno, esset ens a se; *e.* absolute necessarium, Deus!

Prob. 2^a pars (*non aeternitas Dei*). Aeternitas Dei non distinguitur ab essentia Dei, estque simplicissima, immutabilis, tota simul; *a.* tempus est illud in quo res successive durant, estque formaliter successivum, habens partes post partes, semper mutans et fluens; *e.*

Propositio 78.

Tempus non est ipse motus.

Stat. quaest. Eandem responsionem: tempus esse aliquid reale exi- stens, alii explicant: esse aliquid in ipsis rebus durantibus, scilicet ipsum motum; intelligitque Plato motum unum uniformem coeli; intelligunt nomi- nales motum omnem in quavis re.

Prob. 1° Ex conceptu communi: 1) tempus est continens; motus durantes, ratione suae durationis sunt in tempore contenti; — 2) tempus est aliquid occupabile, implebile; motus ratione suae durationis occupant et impleunt tempus; — 3) tempus est de se vacuum, et fiente alio fit plenum; motus et duratio aliqua sunt illud aliud fiens quod tempus implet; — *a.* haec praedicata se mutuo excludunt; *e.*

Prob. 2° Motus potest esse varius: velox, tardus, diuturnior, brevior; tempus tamen aequabiliter et continuo fluit; *e.*

Propositio 79.

Tempus non est subjectiva quaedam sensibilitatis forma Kantiana.

Stat. quaest. Ad eandem quaestionem, quid sit a parte rei capacitas illa... aliter respondet Kant, eam objectivum valorem nullum habere, sed esse formam subjectivam sensibilitatis; hoc autem interesse inter formam spatii et formam temporis, quod forma spatii sit necessitas qua feramur immediate ad res nobis externas quantitate donandas; forma temporis vero sit necessitas qua feramur immediate ad phaenomena nobis interna concipi- enda ut successiva vel simultanea; et his mediantibus solum ad res nobis externas concipiendas ut etiam successivas vel simultaneas.

Prob. 1° Teste experientia, apprehendimus motus varios: veloces et tardos, uniformes et inaequales, et apprehendimus eis correspondere tem- pus uniformiter fluens et aequale; *a.* hoc esset impossibile in sententia Kantiana; *e.*

Ad min. Haec forma una et semper eadem, uniformiter se haberet ad omnes motus, omnesque partes motuum qui sunt ejusdem quantitatis, et apprehenderemus omnes motus ut aequae veloces et uniformes; *e.*

Prob. 2° Teste experientia aliquando percipimus actibus successivis res ut successivas, aliquando actibus successivis res ut simultanee existentes; *a.* hoc esset impossibile in sententia Kantiana; *e.*

Ad min. Haec forma sensibilitatis internae, immediate actus nostros internos praebet ut successivos apprehendendos, et his mediantibus, i. e. vi successionis actuum nostrorum praebet etiam objecta externa ut successiva apprehendenda; *a.* eadem ratione se haberet nostra sensibilitas quoties per actus successivos apprehenderet; *e.* apprehenderet eadem ratione semper objecta externa ut successiva.

Propositio 80.

Tempus formaliter acceptum est ens rationis cum fundamento in re.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem, quid sit objective capacitas illa, nos respondemus: esse a parte rei nihil actuale existens, nec tamen merum figmentum mentis nostrae, sed esse conceptum objectivum mentis nostrae cum fundamento in re.

2) Fundamentum hoc triplex distingui potest:

a) *Logicum*, i. e. nostrae cognitionis: duratio actualis motuum existentium, a quibus abstrahendo concipimus durationem successivam, ut sic.

b) *Ontologicum proximum*, i. e. cur sit haec capacitas recipiendi successio- nes, est ipsa possibilitas motuum, seu sunt ipsi motus possibiles.

c) *Ontologicum remotum* seu *ultimum*, i. e. cur ipsa sit haec possibilitas motus et durationis successivae, est ipsa Dei aeternitas.

3) *Ens rationis*, i. e. non ens in se contradictorium, sed ens quod non

aliter existit nisi in intellectu ut objectum cognitionis. Cfr. supra de spatio; et in logica de universalibus.

Prob. 1° Tempus formaliter acceptum est capacitas, seu possibilitas recipiendi et continendi successiones aequaliter fluentes; *a.* talis capacitas est ens rationis cum fundamento in re; *e.*

Prob. min. 1 part. (est ens rationis). Talis capacitas, formaliter sumpta, entitatem actualem non habet; et tamen concipitur ut ens a ratione.

Prob. min. 2 part. (cum fundamento). Intrinsece possibiles sunt successivi motus; *a.* haec intrinseca possibilitas est sufficiens fundamentum cur concipiatur per modum durationis capacitas aliqua motus et successionis; *e.*

Prob. 2° Tempus existit a parte rei quoad id quod concipitur (successio realis motus); sed non quoad modum quo concipitur (successio abstracta ad modum fluentis); est igitur, quoad modum quo concipitur, formaliter in mententantum, fundamentaliter in rebus ipsis (fluentibus, successivis); *e.*

Propositio 81.

Non intrinsece repugnat esse tempus imaginarium inter duo tempora realia.

Stat. quaest. Sensus est, v. c. ut duo mundi, diversis temporibus existentes, tempore aliquo imaginario sic realiter separentur, ut alterius duratio ab alterius duratione vere distet in ratione temporis, etiamsi nulla sit duratio realis interposita.

Prob. 1° Duratio realis interposita (mundus tertius eo instante creandus quo periret primus, eo instante delendus quo crearetur secundus) absoluta necessitate requireretur, aut ut fundamentum distantiae, i. e. relationis mutuae duorum temporum realium, aut ut causa efficiens hujus fundamenti; *a.* neutrum dici potest; *e.*

Ad min. 1 part. (ut fundamentum). Relatio distantiae temporalis fundatur non in aliquo ipsis distantibus extrinseco, sed in eorum intrinseca quandocumque et duratione.

Ad 2 part. (ut causa). Hujus causae operationem posset saltem omnipotens Deus supplere; *e.* etiamsi haec requiretur, quod non concedimus, tamen non absoluta necessitate requireretur.

Prob. 2° Sequerentur absurda :

1) Si velit Deus duos mundos successive creare, impossibile esset Deo ut post deletum priorem mundum vel tantillam moram expectet, sed deberet eodem instante alterum mundum creare.

2) Quod si Deus post deletum primum mundum, expectaret ad creandum alterum mundum, per tantam moram, quanta posset esse duratio alicujus imaginarii possibilis mundi, v. c. mille saecula; tamen *ipso facto*, duo isti mundi reales, non mutata intrinseca sua duratione, essent in uno tempore continuo.

Propositio 82.

Tempus non est praesens seu existens ratione partis ut partis, sed solum ratione instantis indivisibilis.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quomodo tempus existat, seu quomodo praesens sit; valetque eadem quaestio eademque responsio et de tempore et de motu, nam sicut in tempore sunt instantia, ita in motu momenta indivisibilia [Cfr. *S. Thom.* 1 p. q. 46, a. 3 ad 3. — *Opusc.* 44. c. 1 (apocryph.)].

2) Alii dicunt tempus esse praesens et existens ratione partium; sed communiter negatur.

3) Praesens dicitur : *a)* *sensu latissimo* illa pars temporis, v. c. hora, dies, saeculum cujus una pars praeteriit, sequetur altera;

b) *sensu minus lato* : illa temporis minuta pars, quae dum dico « nunc » revera praeteriit, haec improprie saepe dicitur instans;

c) *sensu stricto*, instans seu indivisibile nunc, per modum limitis intrinseci; hoc sensu loquimur hic.

Prob. 1° Tempus non est ens permanens, sed ens successivum; *a.* successivarum esse rerum in hoc consistit, quod non actu existant nisi per indivisibile sui; *e.*

Prob. min. Si aliquid successivum existeret non per indivisibile sui, sed per partem sui extensam, haberet plures partes simul; *a.* hoc est contra rationem entis successivi; *e.*

ad maj. Quaecumque pars extensa potest semper in infinitum dividi; *e.* si haec pars existeret simul, existerent simul plures ejus partes entitativae.

Prob. 2° *Ante et post* non sunt praesentia, sed solum ipsum *nunc*; *a.* *nunc* non est pars temporis, sed solum aliquid indivisibile ejus; *e.*

Prob. min. *Nunc* non est divisibile in prius et posterius; *a.* illud successivum quod non est divisibile in prius et posterius, est simpliciter indivisibile; *e.*

Objic. 1° Repugnat ut partes temporis existant in aliquo indivisibili. — *R. d.* ut in eo contentae, *c*; ut eo terminatae et conjunctae, *n*.

Objic. 2° Praeteritum fuit praesens, futurum erit praesens; *a.* praeteritum et futurum sunt partes temporis; *e.* — *R. d. maj.* fuit, erit praesens stans et ratione sui, *n*; fluens et ratione alicujus indivisibilis, *c.* — *c. d. min.*

Objic. 3° Immediate post instans praesens aut sequitur pars, aut sequitur instans; *a.* si pars : haec jam erit praesens; si instans : duo instantia inter se immediate succedunt, et tempus constat indivisibilibus; *e.* — *R. d. maj.* sequitur pars stans, *n*; pars fluens, *c.* — *c. d. min.*

Objic. 4° Instans indivisibile nunc se haberet ut terminus partis prioris et posterioris; *a.* sic existerent simul pars prior et posterior, quod absurdum; *e.*

— R. *d. maj.* partium ut discretarum et distinctarum, *n*; ut continuatarum per illud instans, *c.* — *c. d. min.*

Objic. 5° Existentia rei cujusque debet proportionari essentiae ejus rei; *a.* essentia temporis est continua, divisibilis; *e.* — R. *tr. maj.* — *d. min.* essentia temporis totius, *c*; temporis actu existentis praesentis, *n*; — *d. par. cons.*

LIBER QUARTUS.

ORGANOLOGIA.

PROOEMIUM.

Prima parte metaphysicae specialis de mundo nostro corporeo actum; at corpora, corporumque operationes generice inspecta fuerunt, sub qua nimirum ratione corpora sunt, nullo modo inter viventia et inertia discrimen observando. At quum multa supersint in nostro mundo phaenomena contemplanda, corporalia quidem, sed quatenus corpora speciatim ut viventia considerentur, quae facta et essentialiter ab aliis differant, et naturas essentialiter diversas manifestent; ideo separato libro addenda jam sunt quae cognitionem nostri mundi corporei completam faciant.

1° *Definitur psychologia organica* seu *organologia* scientia metaphysica corporum viventium. Neque enim de corporibus non viventibus aliud restat philosophandum, praeter dicta in cosmologia, neque de ipsis viventibus, qua parte generica cum aliis conveniunt, sed qua parte altera ab iis differunt.

2° *Objectum* igitur est ipsa vita corporalis eorum corporum, cum omni sua manifestatione. Atque haec vita quum in ipso etiam homine existat, ipse etiam homo quatenus corporalis, vegetans, et sensitivus, non tamen quatenus est intelligens, ad objectum hujus tractatus pertinet. De vita autem intellectuali seu inorganica sermo veniet in alio sequente libro.

3° *Finis* hujus libri est, ut intimam naturam organorum, eorum vitam, atque ipsius organice viventis essentiam introspeciamus.

4° *Medium* studii circa haec corpora, sicut circa corpora in genere, est ut